



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. VII. Vtrum corpus Christi, prout est in hoc Sacramento, videri possit ab aliquo oculo saltem glorificato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

ostendimus, videtur omnino repugnare, quod res existat iteratò, & secundum illam replicationem destituatur omni præsentia, iuxta illum autem corpus Christi existit in hoc Sacramento acquisito de nouo esse substantiali, si ergo per corruptionem specierum non desinat esse quoad illam replicationem, fieri nequit ut ita mutetur priuatiue quoad locum, ut nullam aliam præsentiam acquirat. ex quo patet solutio præcipui fundamenti ipsius.

48. Dices Angelus existens in totâ aulâ potest se reducere ad medietatem aulæ, & amittere præsentiam localem respectu alterius partis, nihil aliud deperdendo vel acquirendo, ergo talis mutatio non est impossibilis, ergo nec est impossibilis in præsentia.

Resp. neg. secundam consequentiam, quamuis enim fortè non sit impossibile rem, quæ simplici sui diffusionem est in magno spatio, sese reducere ad minus intra idem spatium absque omni acquisitione alicuius, fieri tamen nequit ut res replicata remaneat secundum vtramque replicationem, & perdat secundum vnâ locum in quo erat, & secundum eandem nullam aliam præsentiam acquirat.

Dixi in casu obiectionis, fortè, quia probabile est Angelum toties mutare *vbi*, seu præsentiam, quoties mutat etiam partialiter spatium sese reducendo ad minus, supposito quod *vbi* sit modus à re distinctus (quod in præsentia tractatu sæpius suppono, ut rem explicem iuxta sententiam id asserentem, siue ita sit, siue non) 1. quia motus localis habet pro termino intrinseco *vbi*, ergo Angelus non potest se mouere etiam intra idem spatium, quin acquirat aliquod *vbi*. 2. Angelus dicitur esse in spatio vnus milliaris formaliter per tale *vbi*, quod dicit ordinem ad tantum spatium, ergo quando est in minori spatio habet nouum *vbi*, per quod fit illi præsens.

Dices, si corpus Christi desinat modo à nobis explicato, verum erit dicere: corpus Christi desinit esse, quod videtur absurdum.

Resp. negando id absolute dici posse, cum enim perseueret alibi quoad substantiam, non potest absolute dici: *desinit esse*, sed solum cum addito, secundum hanc replicationem. Nam propositio, in qua sine addito simpliciter diceretur: corpus Christi desinit esse, significaret illud nullo modo remanere in rerum natura. cum enim aliquid absolute negatur de singulari, censetur vniuersaliter ab eo remoueri, seu vbi cumque sit; ut cum dicitur: Petrus non currit; unde in diuinis illa propositio falsa est: Deus non generat, Deus non generatur, quia designatur quod Deus in nulla persona generet, seu quod nulli personæ diuinæ competat generare, nulli competat generari, quod falsum est.

Contrà, videtur incongruum quod etiam secundum replicationem Christi corpus intereat, cum sit res excellentissima.

Resp. neg. assumptum; nihilominus enim permanet in rerum natura, & institutio huius Sacramenti non requirit, ut idem corpus secundum omnes replicationes, secundum quas in hoc Sacramento est positum, perpetuo permaneat, immò magis est conforme institutioni, ut desinat esse corruptis speciebus, cum sit datum sub speciebus tanquam cibus animæ, quod illis corruptis ei non conuenit.

Si Christi corpus tantum haberet esse sub speciebus,

Aduerte tamen, si corpus Christi tantum haberet esse in hoc Sacramento, decens esset illud à

Deo conseruari, non verò corrumpi corruptis speciebus.

Petes, an quando corruptis speciebus corpus Christi desinit, possit dici annihilari secundum hanc replicationem?

Resp. posse, quia ita desinit, ut nihil eius remaneat quoad eam replicationem, cum desinat tota eius materia, & anima.

Dices conuertitur in aliam substantiam; ergo non annihilatur. Antecedens probatur, quia non desinit esse sub speciebus, nisi succedat alia substantia.

Resp. neg. assumptum, ad cuius probationem dico productionem & successionem alterius substantiæ planè concomitanter se habere ad destinationem corporis Christi, non verò per se; Deus enim non destruit corpus Christi ut alia substantia producat, sed quia non remanent species idoneæ conseruationi substantiæ panis; non enim decreuit diutius corpus Christi sub accidentibus conseruare, quam sub ipsa substantia panis conseruaretur: quia verò accidentia non possunt naturaliter esse sine omni subiecto, nec Deus decreuit illa conseruare sine subiecto, fit ut sub nouis accidentibus noua substantia ponatur, cuius proinde positio per accidens se habeat ad destinationem corporis Christi, & ita corpus non possit dici in illam conuertere: quod enim in aliud dicitur conuertere, ita se debet habere respectu illius, ut vnum dicatur desinere, ut alterum ponatur.

Confir. si corpus Christi conuerteretur in aliam substantiam, agens naturale, quod alterat species & aliud producit, deberet dici illud corpus attingere, quod tamen nullo modo dici potest, cum alteratio specierum per se loquendo nihil operetur in corpus Christi, nec agens naturale possit illud alterare, ut patet ex superiori dubio. Adde agens naturale solum posse concurrere ad formalem conuersionem, in qua remanet materia, cum autem desinit corpus Christi, etiam desinit materia corporis.

ARTICVLVS VII.

Utrum corpus Christi, prout est in hoc Sacramento, videri possit ab aliquo oculo saltem glorificato?

RESPONDET 1. corpus Christi à nullo oculo corporeo in hoc Sacramento videri posse. 1. quia ut videatur corpus, debet immutare medium per sua accidentia, quod non potest præstare corpus Christi, prout est in hoc Sacramento. 2. quia corpus Christi hic est per modum substantiæ, id est eo modo, qui conuenit substantiæ secundum se, & prout præscindit ab accidentibus corporalibus, substantia autem ita se habens non est visibilis.

Respondet 2. illud corpus, prout est in hoc Sacramento, videri posse ab intellectu glorificato Dei, Angeli, vel hominis, posse etiam à viatore per fidem cognosci.

Respondet 3. intellectum Angeli vel hominis non posse per nudas naturæ vires illud videre.

De secundâ conclusione nulla potest esse controuersia, de primâ verò, & tertiâ dubitari potest, itaque

DVIVM

DV B I V M I.

Virum intellectus creatus possit per vires naturae clare videre corpus Christi ut est in hoc Sacramento?

SUPPONO 1. beatos posse illud intuitivè cognoscere non tantum visione divinae essentiae, sed etiam in proprio genere, quemadmodum gratiam, lumen gloriae, & alia obiecta creata per notitiam supernaturalem possunt in proprio genere cognoscere: nam intellectus beatus siue per lumen gloriae, siue per aliud inferius lumen supernaturale (de quo alibi disputandum) sufficientem habet proportionem ad res creatas in suo genere clare percipiendas.

Suppono 2. purè viatorem non posse per nudas naturae vires intellectu intuitivè cognoscere Christi corpus in hoc Sacramento: sensus enim nihil nobis repraesentant, ex quo possimus venire in claram huius mysterij notitiam, cum tamen in hac vita omnis nostra cognitio intellectiva oriatur à sensibus. quod etiam ex eo potest confirmari, quod accidentia in hoc mysterio videantur nobis eodem modo se habere, quo se habebant ante consecrationem: ex quo conficitur hominem in hac vita non posse per nudas naturae vires hoc mysterium etiam abstractivè cognoscere, nedum intuitivè. his suppositis

Contrahitur num Angelus vel etiam anima separata possit Christi corpus latens in Eucharistia per vires naturae intuitivè cognoscere? quā dēre duae sunt sententiae.

Prior negat D. Th. hic, quem sequitur Caiet. Scotus dist. 10. quaest. 1. art. 7. §. *contra tertiam*, & plures, quos sequitur Suarez disp. 53. lect. 5. §. *nihilominus dicendum*.

Posterior asserit Scotus dist. 10. quaest. 8. Maior eadem dist. quaest. 5. post medium, & alij.

Hae sententiae videntur probabilior. omittis autem rationibus, quibus eam probat Scotus, quarum aliqua videntur supponere falsum, aliae sunt parum efficaces;

Probat, corpus Christi quod est in hoc Sacramento, est res materialis & intra limites obiecti naturalis intellectus Angelici, igitur videri potest per vires naturae.

Respondent aliqui negando consequentiam, quia non potest videri in hoc Sacramento non visio eius existendi modo, qui ab intellectu Angeli videri non potest, utpote supernaturalis. Sed contra est quod si modus existendi in re ipsa distinguatur à Christi corpore, possit videri corpus non visio illo modo: nam res potest clare & intuitivè videri non visio alio, quod à parte rei ab eà distinguitur; cum ergo corpus Christi remaneat intra limites obiecti naturalis, poterit ab intellectu Angelico videri, quidquid sit de illo modo, & dico posse videri latens sub speciebus.

Confr. humanitas Christi potuit ab intellectu Angeli intuitivè cognosci, quamvis modus particularis, quo existeret, non cognosceretur; ergo ex eo quod modus existendi corporis Christi in hoc Sacramento non posset ab Angelo videri, negandum non esset ipsum corpus posse ab Angelo videri. antecedens patet ex colloquio demonis cum Christo.

His adde quod praesentia corporis Christi sub

speciebus sit aliquid materiale, ut supra ostendimus, nec excedat limites obiecti naturalis intellectus creati: quamvis enim non competat naturaliter corpori quanto, tamen secundum ea, quae adfert ex se, est modus materialis & naturalis, & proinde, quando est in rerum naturā, ipsemet potest ab intellectu Angelico videri.

Ex his sequitur esse probabile quod anima Christi potuerit corpus suum latens sub speciebus in Eucharistia naturaliter clare intueri in ultimā carnā, quia probabile est Christum in usu scientiae naturalis in hac vita non dependisse à phantasmatis, nec intellexisse per conversionem ad illa: unde eius anima poterat naturaliter ipsas substantias in se & intuitivè cognoscere.

Obijcitur 1. quod Angelus non habeat speciem illius modi; ergo non potest illum cognoscere.

Resp. 1. quando dicitur Angelum posse hunc modum naturaliter cognoscere, intelligitur si habeat requisita ex parte obiecti; volumus enim dicere, quod si Angelo non denegentur ea, quae ex parte obiecti ad eius notitiam requiruntur, habeat in se sufficientem virtutem intuitivè illum modum cognoscendi, ita ut quantum est ex parte potentiae cognitivae, non indigeat altiori lumine ad illum modum videndum.

Resp. 2. argumentum non posse habere vim respectu corporis Christi, cuius Angelus habet speciem, quatenus habet speciem corporis humani.

Dices Angelo non debetur species illius modi, ergo signum est esse extra latitudinem obiecti naturalis intellectus Angelici. Consequentia probatur, quia Angelo debetur species eorum quae pertinent ad obiectum eius naturale.

Resp. neg. antecedens, si agatur de modo secundum id quod ex se adfert, nam secundum intrinsecam est modus materialis, quamvis fiat supernaturaliter.

Obijcitur 2. si Angelus naturaliter illum modum intueretur, posset naturaliter cognoscere esse possibilem antequam fieret, atque adeo potuisset naturaliter cognoscere hoc mysterium esse possibile, quod repugnat Patribus.

Resp. neg. assumptum, quia multa facta possunt ab Angelo cognosci quae non possunt ab eodem iudicari possibilea, antequam fiant; potest Angelus naturaliter advertere accidentia in Eucharistia carere subiecto inhesionis, item humanitatem in Christo carere sua subsistentia, quae tamen non potuit iudicare possibilea antequam fierent, quia nulum habebat fundamentum in rebus existentibus, ex quo huiusmodi notitiam colligeret: ita in praesenti non potuit iudicare mysterium Eucharistiae possibile antequam fieret. nam, ut omittam quod in eo multa inveniuntur, quae etiam postquam mysterium peractum est, nequit Angelus naturaliter nosse, ut quod peculiari ratione in eo adsit divinitas, & personae divinae, item humanitas sit unita Verbo, anima habeat habitus luminis gloriae, gratiae, charitatis, ut inquam hoc omittam; per speciem praesentiae corporum in loco non potuit iudicare esse possibile constitutur corpus praesens loco indivisibiliter, ita ut ipse modus esset totus in toto & totus in qualibet parte loci.

Coroll.

53.

Obiectio 1.

Resp.

Obiectio 2.

Resp.

D V B I V M II.

Vtrum corpus Christi in hoc Sacramento
videri possit ab oculo corporeo?

34.

Prima opi-
nio. Pōsse
naturaliter
Maior.Secunda de
de potentia
absoluta
posse.
Rich.
Palud.Tertia, pos-
se superna-
turaliter.
Scot.
Sotus.Victor.
Vasquez.Conclus. 1.
Non posse
naturaliter.

Coroll.

Extensio
obiecti re-
quiritur ut
illud sit
proportio-
natum po-
tentiae visi-
uae.

TRES sunt de presenti quaestione sententiae. Prima asserit corpus Christi in hoc Sacramento posse naturaliter videri ab oculo corporeo, quamvis re ipsa propter meritum fidei non videatur. ita Maior in 4. dist. 10. quaest. 5. post medium.

Secunda asserit ne de potentia quidem Dei absoluta posse videri. tenet Rich. dist. 10. citata art. 5. quaest. 2. Palud. quaest. 4. art. 1. in conclusionibus, & alij. videturque esse D. Th. in corpore, ubi absolute negat corpus Christi, prout est in hoc Sacramento, posse videri ab oculo corporeo, cum tamen agens de intellectu solum neget id posse per naturam vires; ex qua antithesi non obscure colligitur quod velit oculum corporeum nullam potentiam posse videre Christi corpus in Sacramento; quam probabiliorē censet Suarez disp. 53. sect. 4. concl. 2.

Tertia negat quidem oculum corporeum posse naturaliter videre corpus Christi in Sacramento, concedit tamen id posse supernaturaliter. tenet Scotus dist. 10. quaest. 9. Sotus quaest. 1. art. 7. §. dubium autem, qui adhuc isti sententiae existimans Deum producere ipsam notitiam seu visionem in oculo se solo, & supplere vicem speciei. Videt. de Sacramento Eucharistiae num. 70. Vasquez disput. 191. cap. 2.

Dico 1. omnino verius est oculum corporeum non posse naturaliter videre Christi corpus in hoc Sacramento.

Probatur, oculus non potest naturaliter tendere in obiectum inextensum in ordine ad locum, quo modo se habet corpus Christi in Eucharistia. Adde quod res corporalis non possit videri nisi illuminata, cum obiectum visus sit lumen posita autem in puncto non possit naturaliter illuminari, cum agens materiale non possit naturaliter suum effectum producere inextensum in ordine ad locum.

Ex quo sequitur quod oculus glorificatus sine ulteriori virtute non possit videre corpus Christi in hoc Sacramento: nam licet oculus glorificatus sit longe perspicacior, quam oculus hominis de gentis in hoc mortali corpore, & possit res ex maiori distantia videre, tamen ex suo statu, seposito superiori aliquo adiutorio, non habet quod possit videre corpora independentem a conditione naturaliter requisita ad visionem; cum ergo extensio obiecti requiratur, ut illud sit naturaliter proportionatum potentiae visus, sequitur huiusmodi conditionem requiri etiam respectu oculi beatorum.

Nec obstat quod iuxta supradicta corpus Christi possit in hoc Sacramento existens, quantum ex se est, producere sui speciem, quia non inde sequitur posse videri, cum ipsum corpus in se remaneat inextensum in ordine ad locum.

Confir. etiam si ponatur species alicuius corporis in tenebris constituti remanere in oculo, non statim poterit asseri illud corpus videri posse, quia praeter speciem, qua oculus instrui debet ad videndum, requiritur ut obiectum illuminetur; quemadmodum ergo in illo exemplo defectus conditionis requisitae obstat quo minus corpus videri possit, ita in presenti.

Dices Patres asserunt Christum in hoc Sacramento videri.

Resp. id non asserere, quod sentiant ipsum corpus videri ratione suorum accidentium, sed quod species videantur, quarum occasione corpus aliquo modo potest dici videri. hoc modo intelligitur confessio Berengarii in Concilio Romano sub Nicolao 2. ut videre licet Canone, ego Berengarius, de consecratione dist. 2.

Dico 2. probabilius videtur oculum corporeum posse divinam virtute corpus Christi in hoc Sacramento videre.

Probatur, corpus Christi est coloratum, potestque a Deo illuminari atque adeo habere conditionem essentialiter requisitam in obiecto visus; nulla autem alia ratio videtur posse obviare praeter defectum extensionis, seu quod corpus sit inextensum in ordine ad locum, sed id non videtur obviare in ordine ad divinam potentiam, cum non possit ostendi Deum non posse elevari oculum ad videndum rem in puncto positam seu in indivisibili.

Dices obviare quod modus videri nequeat.

Resp. praeter praesentiam localem non esse necessarium alium modum positum, frustra enim fingitur rem esse inextensam in ordine ad locum per modum aliquem positum, cum ad id abunde sufficiat negatio extensionis, quae negatio non debet videri proprie, ut color in puncto positus dicatur videri; sed visio fertur directe in corpus coloratum, cuius indivisibilitas dicitur videri quatenus notatur illud careere extensione in ordine ad locum; praesentia autem localis proprie non videtur, nec pertinet ad obiectum commune visus, sed res dicitur videri esse in loco quatenus notatur non distare a tali loco, quod etiam in presenti fieri potest: nam oculus divinam virtutem ita poterit videre corpus Christi coloratum in hoc Sacramento, ut videat non distare a certo spatio, similiter non distare a speciebus, sed totum esse in qualibet speciei parte, & proinde videre potest corpus Christi, prout est in hoc Sacramento.

Contra id, quod diximus, oculum glorificatum non videre corpus Christi in hoc Sacramento, videtur facere D. Th. responsione ad 2. dicens quod oculus corporalis Christi videt seipsum sub Sacramento existentem.

Resp. varios variis explicare hunc locum, ut videre licet apud Caiet. hic, Sotum art. citato §. quartam conclusionem, Suarez sect. citata in fine, qui censet particulam, sub Sacramento, non coniungi cum illa, seipsum existentem, ut reddat hunc sensum, videt seipsum existentem sub Sacramento; sed coniungi verbo, videt, hoc sensu: oculus corporalis Christi sub Sacramento, seu ex Sacramento videt seipsum existentem scilicet in statu naturali, id est oculus Christi existens in Sacramento videt se existentem in caelo, scilicet per concomitantiam, quae explicatio non videtur admodum probabilis, vel quadrare scopo D. Th. nam argumento 2. volens probare quod quilibet alius oculus glorificatus possit videre corpus Christi in hoc Sacramento, assumit: oculus Christi videt seipsum prout est in hoc Sacramento, ergo & alij eundem vident. ubi particula, prout est in hoc Sacramento, non afficit & respicit actum videndi, sed obiectum quod videtur, igitur in responsione debet similiter afficere obiectum, alioquin valde aequivoce D. Thom. fuisse locutus. nam cum secundum Suarez voluerit implicite negare Christum in hoc Sacramento existentem

videre

videre oculo corporeo, valde æquiuocè & miris-
verborum inuolucris, & impertinenter ad obie-
ctionem dixit: Christus in Sacramento existens vi-
det se in cælo existentem, cum planè & directè
potuisset respondere ad argumentum negando
Christum oculo corporeo se videre, prout est in
hoc Sacramento.

Dico ergo hunc locum nihil facere contra do-
ctrinam à nobis traditam, sed D. Th. velle confor-
miter secundæ conclusioni oculum Christi virtute
supernaturali seipsum in hoc Sacramento existen-
tem videre, quæ virtus supernaturalis nõ commu-
nicetur oculo glorificato aliorum beatorum, &
proinde beatos saltem communiter non videre
corpus Christi prout est in hoc Sacramento. Dico,
saltem communiter, quia aliqui existimant idem
privilegium beatæ Virgini concessum.

Dices D. Th. in illa responsione addit: *non tamen
potest videre ipsum modum essendi, quo est sub Sacra-
mento, quod pertinet ad solum intellectum* quibus ver-
bis videtur negare ipsum oculum videri posse,
prout est in Sacramento.

Resp. negando, quia solum vult ipsum modum
præsentiae localis in puncto non percipi oculo
corporeo, quod verum est, cum ad solum intelle-
ctum pertineat id distinctè cognoscere.

Dices 2. D. Th. videtur dare discrimen inter
oculum Christi & aliorum beatorum, quod oculi
Christi videat seipsum, quia est in hoc Sacra-
mento; alij autem non videant, quia non sunt in
Sacramento; quod discrimen est inane, nisi velit
D. Th. oculum Christi in hoc Sacramento videt se-
ipsum, supple in cælo existentem, quia est sub hoc
Sacramento; alij autem sub Sacramento seu ex Sa-
cramento non vident, quia ibidem non sunt.

Resp. 1. in idem discursus D. Th. videretur levis,
si hoc vellet quod intendit argumentum; cum id
sit clarum, nec vlllo modo ad solutionem argumēti
pertinens. quis enim vel mediocri iudicij potest
in dubium reuocare quod aliquis non possit exer-
cere visionem eo loco ubi non est, ita ut ibi dica-
tur videre? & quid hoc ad argumentum, quod co-
natur ostendere beatos videre corpus Christi in
hoc Sacramento existentem?

Resp. 2. D. Th. non dixisse oculum Christi vi-
dere se in Sacramento, quia ibi est, alios verò non
videre, quia ibi non sunt, sed cum dixisset, quod
oculus corporalis Christi videt seipsum sub Sacra-
mento existentem, &c. addit: *nec tamen est simile de
alio oculo glorioso, quia etiam ipse oculus est sub hoc Sa-
cramento, in quo non conformatur ei alius oculus glorio-
sus, quasi dicat: licet oculi beatorum in aliquo con-
formantur oculo Christi, non tamen necesse est il-
los in eo conformari, quod corpus eius in hoc Sa-
cramento existens videant, quemadmodum nec
in eo conformantur, quod alibi sint, quàm in cælo,
cum tamen oculus Christi in cælo existens etiam
causat in Sacramento.*

Resp. 3. quamvis concederetur D. Th. velle alios
non videre corpus Christi, quia non sunt in Sacra-
mento, commodè tamen posse explicari, quod vel-
lit docere oculo Christi communicari virtutem
videndi se in hoc Sacramento, quia ibi est; quæ ra-
tio cum non inueniatur in alijs, mirum non est si
non fuerit illis communicata virtus ad illum vi-
dendum in hoc Sacramento.

Ex quibus patet videri D. Thom. adhaerere ter-
tiæ sententiæ, pro qua etiam videri potest in 4.
distinctione. quaest. vnica artic. 4. quaestiuicula 1.
ad 1.

Ad id quod suprà in secundâ sententiâ retuli-
mus ex corpore huius articuli, dici potest D. Th.
velle id nullo modo fieri posse per naturæ vires,
cum tamen aliquis intellectus, scilicet diuinus, na-
turaliter videat modum, quo Christi corpus est in
hoc Sacramento.

D V B I V M I I I.

*Virum Christus, prout est in hoc Sacra-
mento, possit aliquas vitales ope-
rationes exercere?*

58.

NON quaeritur, an huiusmodi vitales opera-
tiones habeat per coheremtantiam, de quo
in superioribus est disputatum, sed vtrum eâ sepo-
sitâ per propriam actionem hic elicitam possit ali-
qua cognoscere vel intellectu vel sensu?

Sensus du-
bi.

Dico 1. Christus per intellectum humanum su-
periori lumine potest varia cognoscere, etiam
prout est in hoc Sacramento. cum enim huiusmo-
di cognitio non dependeat à sensibus, sitque spiri-
tualis, quæ potest in indiuisibili collocari, nihil ob-
stat quo minus possit huiusmodi notitiam elicere,
si obiectum constituitur debite præsens.

Conclus. 1.
Possit per
intellectum
humanum
varia cog-
noscere su-
periorilumi-
ne.

Nec refert quod species requirantur, quia spe-
cies requisitæ ad supernaturalem notitiam indun-
tur à Deo iuxta exigentiam luminis supernatura-
lis, non verò oriuntur à sensibus, ut patet in anima-
bus beatis, quæ sine ministerio specierum recepta-
rum à sensibus gratiam, vñionem hypostaticam
possunt etiam in proprio genere cognoscere.

Dico 2. videtur etiam cognitionem naturalem
in hoc Sacramento elicere, quia probabile est, quod
etiam in vsu illius scientiæ non dependeat à sensi-
bus & phantasmatis: si quid autem obstat
quod minus possit habere huiusmodi notitiam in
Sacramento, esset dependentia à sensibus.

Conclus. 2.
Possit etiam
cognitionem
naturalem
elicere.

Confir. anima separata potest habere huiusmo-
di notitiam, ergo & anima Christi in hoc Sacra-
mento; cum, ut dixi, non videatur magis à sensibus
dependere, quàm anima separata. species requisi-
tas Deus debet indere.

Ex his fit consequens quod Christus in hoc Sa-
cramento possit nosse seipsum, sacerdotem, cir-
cumstantes, non tantum notitia supernaturali, sed
etiam naturali.

Corollaria.

De notitia sensus inter authores est controuer-
sia. Nominales enim sentiunt Christum etiam prout
hic existentem posse illam naturaliter exercere,
quibus hac in parte reliqui repugnant.

59.

Dico 3. non potest naturaliter visionem sensiti-
uam elicere prout est in hoc Sacramento.

Conclus. 3.
Non possit
naturaliter
visionem
sensitivam
elicere.

Probatur, actus visionis sensitivæ vel subiecta-
tur in corpore, & ita naturaliter postulat extensio-
nem in ordine ad locum, atque adeo non potest na-
turaliter produci inextensa, quod deberet fieri, si
Christus, prout est in hoc Sacramento illam elice-
ret; vel est spiritualis, & tunc licet subiectiue sit in
anima, atque adeo nihil obstat, quo minus etiam
naturaliter ponatur in indiuisibili, tamen naturali-
ter requirit motum spirituum vitalium, qui non po-
test inueniri in indiuisibili. adde speciem non posse
naturaliter produci ab obiecto indiuisibili.

Dico 4. nihil tamen videtur obstat, quo minus
supernaturaliter huiusmodi visionem possit elice-
re. quia supernaturaliter ipsa qualitas poni potest
in indiuisibili, & motus spirituum non ita necessa-
riò requiritur, ut visio sine illo exerceri non valeat,

Conclus. 4.
Possit tamē
supernatu-
raliter.

species etiam necessaria potest supernaturaliter produci in indivisibili.

Confir. aliquorum sententiâ sensationes, quas Christus dicit in cælo, hic ponuntur per concomitantiam, & proinde nihil repugnat, quo minus supernaturaliter poni possint in indivisibili, quamvis essent corporeæ. item sensus, etiam prout est in hoc Sacramento, debet ad illas influere, igitur ex illo capite non est repugnantia.

Coroll.

Ex his deduco esse probabile Christum oculo corporeo in hoc Sacramento videre sacerdotem & circumstantes.

ARTICULVS VIII.

Utrum quando in hoc Sacramento apparet miraculose caro, vel puer, sit ibi verè corpus Christi?

60.

Dupliciter intelligi potest D. Th.

Causæ huiusmodi apparitionum.

Duobus modis contingunt.

Resp. S. Thomæ.

Indicium quod non fiat mutatio in speciebus.

Alenf.

61.

Facta mutatione in speciebus, verius est corpus Christi ibi non esse in propria specie.

QUOD querit D. Th. num ibi sit verè corpus Christi, duplicem sensum habere potest: nam potest ita intelligi, num ibi, id est in illa apparitione, sit verè corpus Christi? vel secundò, num in Sacramento nihilominus remaneat corpus Christi? pro cuius doctrinæ explicatione

Notandum 1. ex historiis & miraculis, quæ pluribus locis contigerunt, constare huiusmodi apparitiones interdum contingere. contingunt verò vel pro consolatione quorundam Dei amicorum, vel pro confortatione debiliū, vel ad terrorem eorum, qui indignè ad hoc Sacramentum accedunt, vel ad redarguendos infideles, & ut constet Christi corpus verè, & realiter in hoc Sacramento existere.

Notandum 2. huiusmodi apparitiones duobus modis contingere, ut docet D. Th. in corpore. 1. nullâ factâ mutatione in speciebus sacramentalibus, sed solum in ære, vel oculo, vel corpore aliquo adiacente. 2. factâ aliquâ specierum mutatione, quando priori modo fit apparitio.

Respondet Christi corpus verè remanere in Sacramento, & indicat in tali apparitione non verè esse Christi corpus. prius patet, quia quando nulla circa species contingit variatio, corpus Christi non definit sub illis latere, ut patet ex dictis. non esse verò corpus Christi in tali apparitione, est etiam indubitatum. nec tamen est deceptio, quia Deus diuinitus vel speciem producit in oculo, vel mouet phantasiam, vel corpus circumstantis ita aptat eo fine, ut credatur corpus Christi verè esse in Eucharistia, non verò, ut iudicetur re ipsa ibi esse, ubi apparet, vel id quod apparet.

Aduerte ex D. Th. morale indicium esse quod mutatio non fiat in speciebus, si vni tantum, vel alteri appareat, non autem passim adstantibus, vel si ipsa apparitio parum duret.

De secundo modo apparenti, factâ scilicet mutatione in speciebus sacramentalibus, difficultas est, in quâ quidam senserunt corpus Christi ibi esse in propria specie, ita refert D. Th. in corpore & sentit Alenf. 4. parte quæst. 53. membro 4. art. 3. negat verò D. Tho. hic & plures Doctores in 4. dist. 10. & passim moderni. quæ sententia est omnino verior.

Suppono tamen non repugnare, quo minus corpus Christi verè, & realiter possit apparere in propria specie, ita ut ibi sit realiter, ubi videtur esse. vnde non repugnat, quo minus apparens in specie sub formâ pueri, vel elegantis iuuenis, re ipsa ibi

sit, quod aliqui factum existimant in exemplo quod narrat Paschasius lib. de corpore Christi cap. 14. scilicet Christum apparuisse euidam sacerdoti in formâ pulcherimi pueri, & se illi osculandum præbuisse, eiusque precibus ad pristinam sacramentalem formam rediisse. hoc præmissis

Probatur quod sit verius quando apparet caro, sanguis, vel puer, factâ specierum mutatione, ibi non esse corpus Christi in propria specie. 1. quod apparet caro, nigrescit & induratur, & quod videtur sanguis, concreuit; quod parum decet corpus Christi gloriosum. Adde Christi sanguinem esse intra venas, nec amplius effundi, vnde cum apparet ebulliens, præsumi potest, & debet non esse verum Christi sanguinem.

2. Quod ita apparet, diu permanet, ut constat experientia, & seruatur in pyxide; quod non est consentaneum sententiæ de glorioso Christi corpore. Probatur, quia apparet modo mortuo, cum tamen corpus Christi gloriosum non sit sine anima.

Ex dictis sequitur quod ita apparet sub specie carnis, non esse latrâ adorandum, posse tamen honorari tanquam representans corpus Christi. vnde ad vitandam idololatriam, vltus habet, ut quando hæc asseruntur propter populi consolationem, inxta ponatur aliqua hostia, consecrata, quæ adoratur.

Dices, si non sit caro Christi, quid est in huiusmodi apparitionibus, cum nec sit, nec possit dici esse caro alterius hominis, vel animalis?

Resp. non esse veram carnem, sed solum aliquid habens carnis effigiem, ut passim Doctores cum D. Th. neque in hoc vlla intercedit deceptio, cum apparitio dirigatur à Deo ad decorandum quod in Sacramento Eucharistie verè, & realiter Christi corpus existat, si simplices fallantur, eorum error est per pastores & concionatores corrigendus.

Difficultas est num saltem eo casu Christi corpus remaneat sub speciebus? in qua certum est remanere, si non sit notabilis earum mutatio, si verò valde magna mutatio inueniatur, controuertitur: nam D. Th. hic in fine corporis videtur asserere remanere Christi corpus, si remaneant dimensiones panis, quantumvis magna in qualitatibus intercedat mutatio, quod ipsum insinuat Vict. num. 71. & alij. contrarium sentit Dur. dist. 10. quæst. 4. ad 3. & alij.

Controuersia hæc vel potest sistere in speculatione, vel dirigi ad praxim. Si de nudâ speculatione agamus, pendet ex ea quæstione, num in definitione rei procedatur vsque ad materiam primam, ita ut ne quidem quantitas sit communis genito, & corrupto; in quâ quæstione D. Th. supponit partem affirmatiuam, iuxta quam optimè sentit quod quantalibet in qualitatibus sit mutatio, remaneat Christi corpus quamdiu remanet eadem quantitas, quia sub eadem remaneret panis substantia. Durandus verò sentit eandem quantitatem posse esse in genito & corrupto, ex quâ sententiâ sequitur ex permanentiâ quantitatis non posse sumi argumentum ad concludendam corporis Christi præsentiam. quæ sententia est valde probabilis. certè concessio quod remaneat quantitas alicuius rei, non videtur aptè concludi quod remaneat dispositio sufficiens ad conseruationem substantiæ, cum substantia materialis non dependeat à sola quantitate ut perseueret in rerum natura.

Si con-